

*Guglielmo Ruffo è sottoposto al
giudizio di Ruggero Sangineto,
capitano di Reggio Calabria*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo è sottoposto al
giudizio di Ruggero Sangineto,
capitano di Reggio Calabria*

1335-10-23

In nomine domini Iesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo, trecentesimo, trigesimo quinto, die vigesimo tertio mensis octobris, quarte inditionis. Regnante serenissimo domino rege Ruberto, Dei gratia illustrissimum Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Folcalquerii, ac Pedemontis comite. Regnorum eius anno vigesimo septimo feliciter amen.

Nos Nicolaus de Ieria olim in anno tertie indictionis proximo predicto, iudex civitatis Rhegii, defectu iudicum annalium non dum, in eadem civitate Rhegii pro anno presenti quarte inditionis electorum, Ioannes de Macua de Rhegio publicus per totum Ducatus Calabrie regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc vocati, specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod magnificus dominus Guglielmus Ruffus de Calabria, comes Sinopolis, regius consiliarius et fidelis, olim capitaneus dicte civitatis Rhegii et a Capite Brutiani, usque ad Balnearium inclusum, ab olim die videlicet quinto presentis mensis octobris, dicte quarte inditionis, quo die magnificus dominus Rugerius Sangineto, Curialiano comes, dicti domini comitis Sinopoli in dicto officio successor electus ad sindicandum, una cum iudice Leone domini Gregorii de Giracio, dictum dominum comitem Sinopoli, suosque iudicem et actorum curie notarium, aliosque eius subofficiales in dicto officio capitanei de dicta civitate Rhegii, recessit causa eundi ad Iustitiarium Vallis Cratis tamquam Iustitiarius, ut tunc communiter dicebatur dictus dominus comes Sinopolis, tam in predicta civitate Rhegii, quam etiam in capitaneatu et iurisdictione capitanei dicte civitate

Rhegii, usque per totum predictum vigesimum tertium diem mensis octobris, continue morum traxit prout tum per attestationem, non nullorum hominum ipsius domini comitis Sinopoli subsequutam, quam etiam constitit nobis interdictum. Dictus que etiam dominus comes Sinopolis protestatus fuit, coram nobis, quod paratus fuit, et est, coram quibuscumque sindicatoribus statutis, ad sindacandum cum predicto capitaneatus officio singulis conquerentibus de administratis per eum, et de excessibus et processibus commissis forte, per eundem Dominum Sinopolis tempore dicti officii capitanie responderi. Sed quia dictus dominus Guglielmus comes Sinopolis, suo interesse, asseruit de premissis habere publicum instrumentum requisivit nos, ex parte regia, et ex sua, rogavit attente.

Nos qui supra iudicis et notarii publici super hoc officium implorando, ut ei de premissis facere deberemus publicum instrumentum, cuius requisitionibus iustis, ut pote annuentes, ad futuram rei memoriam, et tam regie curie certitudinem de premissis, quam dicti domini comitis Sinopolis cauthelam presens scriptum publicum, eidem dominum Gulielmo comiti, exinde factum est ipsius domini comitis Sinopolis requisitionibus, et rogatum per manus mei predicti notarii publico, scripto et subscriptum nostrum qui supra iudicis et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Scriptum Rhegii anno, die, mense, loco et inditione premissis. † Ego qui supra Nicolaus de Ieria de Rhegii, iudex civitatis Rhegii testor. † Ego Enricus de Amantea miles testor. † Ego Iacobus de Loguteta testor. † Ego Petrus de Capua predicta testor. † Ego Nicolaus de Loguteta de Rhegii testor. † Ego Gerardus de Loguteta de Rhegii testor.

† Ego Bartholomeus de Guglielmo predicta testor. †
Ego Ioannes de Fufuda predicta testor. † Ego Petrus
de Musolino testor. † Ego Ioannes de Prothopapa de
Calanna testor. † Ego qui supra Ioannes de Macua de
Rhegio, publicus per totum Ducatum Calabrie, regia
authoritate notarius presens scriptum scripsi et me
subscripsi